



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

Tertivs Dies.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)



## TERTIVS DIES.

*De pœnitentiâ exteriori vel corporis  
castigatione.*

**H**anc materiam mirabiliter tractat S. Pater noster in Addit. 10. quæ sequitur primam Septimanam, & sic habet:

*DECIMA, ut aliquam addam satisfactionem, seu pœnitentiam: quæ quidem in interiorem & exteriorem diuiditur. Interior est, dolor de propriis peccatis, cum firmo proposito cauendi tum ab illis, tum ab aliis quibusuis in posterum. Exterior autem est, fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis; quæ tribus potissimum modis assumi potest.*

*Primò. Circa victum, subtractis quibusdam non superfluis solum (quod*  
tem-



temperantiae est, non poenitentiae) sed etiam conuenientibus alimentis: Et eò fit meliùs quò plus subtrahitur, vitatâ interim naturæ corruptione, aut debilitate graui, seu infirmitate.

Secundò. Circa somni Et strati modum, sublatis non mollibus tantùm aut deliciosis rebus, sed aliis etiam opportunis, quantum licet, citra vitæ aut valetudinis graue periculum: quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquantisper, ad consuetudinem (si cui est nimij somni) moderandam.

Tertiò. Circa ipsam carnem, vt influctum sentiat dolorem, admotis gestatisque ciliciis, funibus aut vectibus ferreis, vel incussis verberibus ac plagis, vel aliis austeritatis generibus assumptis: in quibus tamen omnibus magis expedire videtur, vt doloris



sensus in carne tantum sit, nec penetret ossa, cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potissimum utemur ex funiculis minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem adeò interiores, ut valetudinem aduersam causare possint.

Notanda sunt insuper quatuor hæc circa pœnitentiam. Primò, Quòd pœnitentiæ exterioris triplex est usus seu effectus: nimirum ut pro delictis præteritis nonnihil satisfiat; ut vincat seipsum homo, inferiorem sui partem, quæ sensualitas appellatur, superiori, hoc est rationi, magis subiiciens: ut postremò queramus, atque impetremus aliquod gratiæ diuinæ donum, quod optamus; puta intimam cordis contritionem de peccatis, & abundantiam lacrymarum, vel propter illa, vel propter pœnas & dolores Passio-  
nis



nis Christi, aut dubij alicuius, quod nos angit, resolutionem.

Et infra, post *Notandum Secundò*, sic dicit: *Tertiò*, Quòd quando is qui exercitatur, affectum quæsitum non consequitur, vt dolorem vel consolationem, mutare subinde expedit rationem victus somnique, & alia genera pœnitentiæ; ita vt pœnitentiam vnâ per triduum sectemur, & proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo, prout diuersis plus aut minus pœnitentiæ est sumendum.

Prætereà cùm pœnitentias huiusmodi sæpè omittamus, ob affectum carnis aut erroneum iudicium, quasi naturalis nostra complexio ferre illas non possit citra ingens valetudinis detrimentum; & è contrario, iustum nonnumquam modum pœnitentiæ excedamus, de corporis robore nimis



*confidentes, mutatis, vt dictum est, pœnitentiæ generibus, ac per vices sumptis & relictis, euenit plerumque, vt clementissimus Dominus, qui naturam nostram perfectissimè cognoscit, vnicuique id compertum reddat, quod ipsi expedit.*

### *Declaratio Additionis decimæ.*

**P**œnitentia exterior, quæ est corporis castigatio, est fructus pœnitentiæ interioris; quæ est dolor de peccatis: ostenditque hunc dolorem esse verum, quia peruenit ad vindictam de offensâ, & ad adhibenda, quæ magno constant, remedia, ne ad illam relabamur.

Hæc pœnitentia habet tres effectus.

Primus. Satisfacere pro peccatis præteritis.

Secundus. Vincere seipsum, sensualitatem rationi subiiciendo, vnde proueniunt vberes fructus bonorum operum

&



& virtutum, propter tria. 1. Quia ratio caret contradictione sensualitatis; vel saltem minor ea est, quando corpus castigatur. 2. Quia corpus delicatè enutritum recusat labores. Et sicut caro non salita corrumpitur, & vermes generat; sic corpus benè pastum, amicum est otij, tentationum malarumq; cogitationum seminarium. Contrà, corpus benè castigatum lubens se sanctis subdit laboribus: experientiaque nos docet, quòd bestiis & pueris magis sit proprium, rigore & castigationibus, quàm ratione, gubernari. 3. Quia dæmon, qui per sensualitatem hominem plerumque deiicit, seueritate illâ & flagellis facilius vincitur: imò aliqui sunt dæmones (vt ex Euangelio patet) qui non eiiciuntur, nisi oratione & ieiunio.

Tertius effectus pœnitentiæ est, à Deo Domino nostro gratiam aliquam obtinere & fauorem, eumque vel spiritualem; qualis est dolor, contritio, deuotio, sensus & gustus aliquis spiritualis,



lis, &c. vel temporalem; verbi gratiâ bonam valetudinem, pacem, bonum optatumq; negotij alicuius successum, vel quid simile. Peculiariter verò Sancti hisce pœnitentiis vsi sunt ad obtinendam à Deo lucem in dubio aliquo, vel alicuius quæstionis resolutione: quia quando pœnitentia Orationi innititur, fortior ea fit, vt ex sacris Litteris patet.

Pœnitentia fieri potest tribus modis.

Primo, in cibo & potu, tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem. In cibo, non comedendo sine licentiâ, nec extra tempora, aut consueta loca; non quærendo delicia; non conquerendo de vilioribus cibis; eosq; & potum vsque ad satietatem non sumendo; in delicia; præcipuè se mortificando. quæ omnia ad temperantiam spectant, vt videre est in Regulis abstinentiæ & Additione 10. Ad pœnitentiam verò spectat, de quantitate quid tollere, vt conueniet ieiunio plus minúsve arcto aut rigido. Et hæc pœni-



pœnitentia valdè propria est SOCIETATI, cuius quædam Regula habet: *Omnes intelligant, non esse singularitatem, ieiunare aliis non ieiunantibus, &c.* In potu fit pœnitentia, excessum tollendo in quantitate, & maximè in qualitate vini, cuius non deberet esse vsus, nisi per modum medicine: omnis enim in eo excessus tentationibus materiam subministrat, accendit iram, stupefacit intellectum, ad Orationem & Exercitia spiritualia torpidum tardumq; reddit, aliaque multa tum corpori tum animæ damna infert. Hoc Exercitium mortificationis circa cibum valdè fuit in vsu SOCIETATIS initio.

Secundo, pœnitentia fieri potest quoad somnum: in quo licet nihil de necessario demi debeat, moderatio tamen adhibenda est, ne sit superfluous, præcisè semper ad Orationem surgendo, contrarias omnes necessitates & rationes, nisi benè examinatæ fuerint, reiiciendo. Quod ad temperantiam & pœnitentiam spectat, vti etiam asperis  
in



in modo dormiendi; verbi gratiâ dormire vestitum, humi cubare, &c.

Tertio, fieri potest pœnitentia disciplinis, ciliciis, aliisque id genus asperitatibus & castigationibus; quarum est magna varietas & differentia: & admirandas earum inuentiones videre est in Sanctorum Vitis, de quibus quoad usum & imitationem dicit S. Pater noster in Additione 10. sic: *Circa ipsam carnem, magis commodum & securum videtur, ut inflictum sentiat dolorem incussis verberibus aut plagis, ut doloris sensus in carne tantum sit, nec penetret ossa cum infirmitatis periculo.* Ideò magis conueniens est, se affligere tenuibus funiculis potiùs quàm alio modo, qui notabilem aliquam causare posset infirmitatem. Et quia modus ille agendi pœnitentiam disciplinis & ciliciis iam factus est maximè ordinarius, timendum est ne duorum priorum obliuiscamur, iudicando eos quasi alienos à nostro instituto & Religione; cum tamen ab eâ verè non sint alieni, & sanctus



ctus Pater noster eorum expressam faciat mentionem : deinde fructus ille, qui ex ciliciis & disciplinis colligi solet, non erit is qui expectari debet, si cibo & potui laxemus habenas, nec iis frenum aliquod iniiciamus. Pœnitentię hæ corporales non possunt in omnibus personis esse eadem, nec omni tempore ; sed esse debent plures vel pauciores.

Primò. Debent esse conformes valetudini corporisq̃ue viribus: quia is qui multis corporis miseriis & infirmitatibus affligitur, non debet illas sibi reddere grauiores superiniecto nouo pœnitentiarum voluntariarum, præsertim indiscretarum onere, aut cum anxietate, ne illas non possit explere, sed potiùs animum suum applicet ad generosè ferendas pœnitentias sibi à Deo immissas.

Secundò. Debet haberi ratio occupationum & laborum ad maius Dei obsequium, ne illi impediuntur ; siue ij ad proximi spirituale bonum, siue in temporale

porale



porale alicuius communitatis auxilium tendant : quia æquum non est , pœnitentiis , quæ mihi quidem vtilis sunt , aliis verò non profunt , corporis vires debilitare ; cùm eas ego impendere possim laboribus aliis , qui & corpori molesti erunt , & præterquam quòd spiritui multum profuturi sint , in proximi etiam vtilitatem redundabunt . Et hoc intelligendum , quando tales pœnitentiæ , occupationes vtilis impediunt ; aliquando enim eas & frequenter iuuant , corpus spiritui & sensualitatem rationi subiiciendo , vt supra diximus .

Tertiò . Debet pœnitentia accommodari materiæ Meditationis : maiorem enim Meditationes primæ & terciæ Septimanæ requirunt , quàm eæ quæ in quartâ fiunt . Ratio etiam habenda consolationis aut desolationis spiritualis , & deuotionis , aut ariditatis quæ percipitur : & vt mediocritatem quis seruet in omnibus istis occasionibus , expedit aliquando pœnitentias mutare , maiores vel minores assumendo ; ad  
ma-



maiores tamen & feueriores maiori feruore feratur, quia vires suas nemo facile nouerit, nisi ad extremum & summum potentiae peruenerit. Et in omnibus his optimum est, bono vti consilio, & alterius se iudicio subiicere.

## MEDITATIO

## DE PECCATORVM POENIS.

**N**OTANDVM PRIMO, Quòd in omni peccato duo reperiantur: vnum est, deseruisse Deum, qui vltimus est finis; alterum, inordinato se affectu ad creaturam aliquam conuertisse. in quibus, vt diximus, tota peccati foeditas consistit. Istisque duabus malitiis rigor punishmentis & poenae respondet.

Et idè primò id euenit, vt is qui Deum deseruit, sit absque Deo; & qui vltimum suum finem fugit, ad illum non perueniat; & qui ad conuiuium inuitatus ire noluit, ex eo non comedat; & qui à Deo recessit, ab illo Deus recedat. Osee 9. *Sed & vae eis, cum recesserint*

G sero



*fero ab eis.* Et illam vocamus Pœnam damni. Secundò, vt is qui se creaturæ tradidit, damnum etiam cum illâ patitur; & spinis se pungat, qui eas amplectitur; & is qui crudeli domino seruire voluit, eius etiam crudelitatem sentiat. *Isaiæ 19. Et tradam Aegyptum in manus dominorum crudelium.* Et hanc vocamus Pœnam sensus.

NOTANDVM SECVNDO, Quòd ira Dei in peccatoribus peccatisq; puniendis valdè similis sit iræ viri alicuius potentis & zelotypi: qui cum vxorem suam lautissimè, summoq; semper in honore domi suæ habuisset, summo agitur furore, quòd ipsa, eo spreto, cum adultero discesserit: ideoq; Primò, nullius eam rogatu aut intercessione in domum suam admittit; & pessimæ ab adultero tractationi multisq; miseris obnoxiam cum paupertate luctari permittit. Secundò, eam violenter ab adultero separat, ne vel breui istâ voluptate ita amaritudinibus mixtâ recreetur. Tertiò, adulterum occidit. Quartò, vxorem  
puden-



pudendâ & ignominiosâ morte affi-  
 cit: quia, vt dicitur Prouerbiorum c.6.  
*zelus & furor viri non paret in die*  
*vindictæ, neque acquiescet cuiusquam pre-*  
*cibus, nec suscipiet pro redemptione*  
*dona plurima.* Similem modum ser-  
 uat Deus in punitione hominum, qui,  
 se spreto, qui vltimus eorum finis est,  
 turpibus creaturarum amoribus indul-  
 gent. Quæ similitudo in Scriptura  
 sacra in vsu est; vt apparet Ieremiæ 2.  
 vbi clarè ostenditur, quomodo hoc  
 sentiat Deus, his seuerissimis verbis:  
*Obstupescite cali super hoc, & porta e-*  
*ius desolamini vehementer, dicit Domi-*  
*nus. Duo enim mala fecit populus meus:*  
*Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, &*  
*foderunt sibi cisternas, cisternas dissipat-*  
*as, quæ continere non valent aquas.*  
 Porrò ad clariorem iræ Dei punitio-  
 nisque intelligentiam iuuabunt se-  
 quentia.

CONSIDERA PRIMO, Maximam de-  
 monstrationem odij, quo in peccatum  
 fertur Deus, fuisse in Angelis, quos de



cælis propter vnicum superbię peccatum in infernum præcipites dedit. Vbi valdè notandum, quòd pretiosissimum domus Dei monile, præcipua cæli totius pulchritudo, & quæ speciosissimum Deum maximè referebat imago, propter vnicam superbię cogitationem, velut fulmen è cælo delapsa est; atque adeò ex Principe Angelorum factus est Princeps dæmoniorum, ex speciosissimo omnium turpissimus, ex gloriosissimo omnium afflictissimus: qui gratissimus erat, factus est omnium hostium Dei, qui aut sunt, aut vniquam futuri sunt, maximus. Porrò si huius cladis in aureis illis vasis pretiosissimis vna sola culpa causa fuit; quid de vilissimis vasis luteis, tot peccatorum veneno plenissimis, expectandum?

CONSIDERA SECUNDO, Alterum diuinæ iustitiæ argumentum exhibitum fuisse in paradiso terrestri; vbi primum hominem ad suam Deus imaginem & similitudinẽ creatum collocauerat, omnium hominum parentem ac caput, gra-  
tiã



tiâ & iustitiâ originali, immortalitatis quasi veste, aliisque innumeris excellentiis & privilegiis ornatum: quem Deus, propter vnâ inobedientiam ex paradiso in exilium relegatum, ad infinitas pœnas & miseras, ad mortem denique condemnauit. Nec hîc diuina stetit iustitia: eadem enim pœna omnes Adæ posteros inuoluit; qui ex radice infectâ nascuntur filij iræ, in peccatis concepti, iisdemque sunt obnoxij miseriis. Nec post tot sæcula ea est obliuioni mandata iniuria, licet inter tot homines distributa, tantisque pœnis castigata: quinimò quotquot ab orbe condito huc vsque homines flagella passi sunt, & quotquot mortem obierunt, & quotquot in inferno animæ ardent, ardebuntque perpetuùm, sunt quasi scintillæ ab hac primâ culpâ originaliter prouenientes, diuinæque iustitiæ clarissima testimonia.

Quas ergo pœnas & flagella meretur & timere debet homo vilis, propter tam varia quæ commisit peccata; cum propter vnicum solum, in eo qui omnium



hominum pater & caput erat, tot existent feueriffimæ iustitiæ diuinæ argumenta ?

CONSIDERA TERTIO, Vt homines à nouis peccatis non destiterūt, sic Deum à nouis flagellis immittendis non destitisse. Totum vniuersum miserè diluuiò perit. Super quinque illas infandas ciuitates ignem & sulphur de cælo pluit Deus. Core, Dathan & Abiron, cum Moyse impiè concurrere volentes, viuos terra absorpsit. Duo filij Aaron, Nadab & Abiu, propter omiffam aliquam in sacrificio cærimoniam, igne Sanctuarij subitò extincti sunt. Ananias & Saphira in nouo Testamento ob mendacium, quod primo intuitu leue videbatur, inopinatò mortui sunt. Et huiusmodi in diuinis Litteris & Historiis, tam sacris quàm profanis, plurima occurrunt exempla, aliaque quæ ipsi hisce nostris temporibus quotidie videmus. Iuuabit hæc nonnumquam in memoriam reuocare, & cogitare, quòd plurimi, ob minora paucioraque peccata



cata quàm quæ nos commisimus, perpetuùm in inferno ardeant.

CONSIDERA QVARTO, Omnia iustitiæ Dei erga peccatores esse plenissima: affligit enim eos Primò, cæcitate, ignorantia, tenebris spiritualibus, inquietudine animæ & spiritus, remorsu conscientia, vt sint tamquam homines, qui extra centrum suum existentes, nusquam firmitatem ac quietem inueniunt. Quæ omnia ad pœnam damni pertinent, respondentq; desertioni Dei, qui est vera lux, gaudium & centrum cordis. Secundò, affligit eos infirmitatibus, paupertate, infamia, litibus, aduersis casibus, & luctuosâ morte, &c. (ita nimirum illis à rebus creatis soluitur) respondentque pœnis sensus: quibus si addas impatientias, diffidentias & desperationes quibus vexantur, erit quasi species aliqua inferni. Cum ergo tot intra & extra nos iræ Dei argumenta percipiamus, cur eum non timebimus? & iram eius contra peccata non apprehendemus? Si iudex aliquis,



qui seueritatis suæ & iustitiæ reos puniendo frequenter signa dedit, malefactoribus ita horrore sit, vt in ipsius conspectum prodire non audeant; quomodo nos coram Deo apparere audebimus, qui tot eius & tam frequentes iustitiæ effectus tamque manifestos experti sumus?

CONSIDERA QUINTO, Huic poenæ aliam in hac vitâ succedere, quæ est mors. Vbi supponendū, quòd omnibus hominibus certò sit moriendum; verum incertissimam esse mortis horam, etiamsi hinc spem faciat, quòd post multos annos futura sit, inde spem diuturnioris vitæ præscindat. Vbi ergo ocyus seriusque ea hora venerit, animaduertendum quo in peccatorem Deus rigore vtatur, omnibus eum bonis, amicis, officiis & dignitatibus, omnibus suis recreationibus, pulchritudine, & corporis viribus, & tandem, quâ nihil charius est, vitâ ipsâ spoliando: sic eum generali vnâ omnium suorum bonorum confiscatione puniens, & ab omnibus,

qua-



quarum ipse amoribus irretitus vivebat, creaturis violenter eum, absque spe vniquam ad illas redeundi, separans; ne vel ad tempus transitoriâ illâ se voluptate oblectare possit. Cùm ergo tali modo à creaturis auellendi simus, quare nunc tantoperè illis adhæremus, nisi fortè vt tum in illâ auulsione plus doloris & pudoris sustineamus? Quò tum misera illa & infelix anima fugiet? quod tum refugium, quemque protectorem, cùm Deo in iudicio particulari tot grauata peccatis offeretur, inueniet? grauissimè tum accusabitur, quòd inuitata dum viueret ad Dei gratiam, & vt ei reconciliaretur, venire contempserit; & tum iustè à Deo deseretur, quæ Deum iam prior deseruit: sicque à Deo miserè fugabitur expelleturque, nullius vniquam intercessione reditura.

*Quia zelus ac furor viri non parcat in die vindictæ, neque acquiescet cuiusquam precibus.*

CONSIDERA SEXTO, Hanc pœnam sequi aliam non minùs grauem, quæ est

G 5 iudi-



iudicium vniuersale : postquam enim Deus creaturas suas tulerit sustinueritq; propter Electos , in illo die iram & furorem exacuet in odium adulterij maiorum, & in peccatorum , quæ propter illas commiserunt , vindictam . Sicut maritus in die vindictæ quam de adulterio sumit , occidit adulterum , vestes omniaque pretiosa comburit , hortos euertit & destruit, omnemque iram & furorem in omne illud quod iniuriæ infamiæque ei irrogatæ quoquo modo particeps fuit, effundit; sic erit in die illâ: huc enim refertur terre motus, mugitus maris, solis obscuratio, stellarum lapsus, & totius mundi exustio. *Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, exspectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cali ardentis soluentur, & elementa ignis ardore tabescent ? 2. Petr. 3.*

Et, quod mirandum est, cùm omnia illo die consumentur , sola hominum corpora resuscitabuntur & regenera-  
bun-



buntur ; quia cùm maximè participa-  
 rint de offensâ Dei , eiùque causam de-  
 derint , æquum est vt hoc non solùm  
 luant pœnâ mortis æternæ , sed & vi-  
 uant , quo mortem eam æternam sen-  
 tiant. Maiórne Dei ira esse potuit,quàm  
 quòd non tantùm vitam tollere , mor-  
 temque immittere voluerit , sed quòd  
 mortuis vitam det, vt sic viuâ eos mor-  
 te puniat ? hoc enim modo occidit &  
 consumit, nec tamen mortis ipsius sen-  
 sum & dolorem tollit. Hinc sequitur  
 Iudicis sententia, in quâ de tam variis &  
 multiplicibus peccatis rei facti, omni-  
 bus , à maximo vsque ad minimum,  
 benè perpensis & examinatis, aliam pœ-  
 nam non accipient , quàm eam quam  
 ipsi sibi suis peccatis præscripserunt: quæ  
 est 1. à Deo in æternum reici, quem  
 ipsi spreuerunt, & deseruerunt. *Disce-  
 dite à me maledicti.* 2. Damnum crea-  
 turarum sensu percipere, quas ipsi ama-  
 runt. *In ignem æternum.*

CONSIDERA SEPTIMO, Horrendam  
 istius pœnæ executionem, quæ fiet in in-  
 ferno



ferno per totam eternitatem: vbi maximum tormentum erit, versari in perpetuis tenebris, separari ab ultimo fine, à quo ipsi voluntariè recesserunt, ad quem tum, vt vellent, non poterunt reuertì; cum perpetuo remorsu & dolore, quòd tantum perdiderint bonum, & tam insignes illud consequendi sibi elabi sint passi occasiones. Hinc sequitur pœna sensus: quâ, iusto Dei iudicio, creaturæ omnes, quibus in hac vitâ fuit delectatus, ipsum cruciabunt; & sensus, qui eius voluptatis fuere instrumenta, iam erunt tormenti. Vnde magna se offert materia considerandi omnia quæ in hac vitâ valdè affligunt & pungunt sensus: illa enim omnia maiore vi & impetu in damnatos in inferno irruent. & hæc est vindicta quam Deus sumet de iis, qui, se spreto, creaturas amplectuntur. Nec hæc tragedia finem capiet per totam æternitatem.

CONSIDERA OCTAVO, In hac punitione non respicere Deum personas, nec multis



multis opus esse peccatis : vnum enim peccatum mortale ad omnia dicta tormenta sufficit. Et in hoc vim facit sanctus Pater noster in omnibus Punctis Exercitij de tribus potentiis ; cum vnicum Angelorum peccatum eos daemones fecerit ; vnica primorum parentum inobedientia tantam in mundo stragem ediderit : qui & ipsi easdem illas æternas sustinuisent pœnas, si pœnitentiâ culpam eam non diluissent. Et propter vnicum peccatum mortale, multi iam ardent in inferno : vt hinc certò sciamus , cum tantus sit nostrorum defectuum excessus , & tanta personarum nostrarum inæqualitas, nullam nos vanæ alicuius præsumptionis ansam habere ; sed necesse esse , vt per veram pœnitentiam securos nos reddamus.

Finis ergo huius Exercitij

Primus est, Timor Dei: quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis.*  
ad Hebr. 10.

Secundus, Opportuna ac velox cum  
Deo



Deo reconciliatio, qui nos in gratiam recipere paratus est: iuxta illud Ieremix 3. *Vulgò dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.*

## QVARTVS DIES.

*De fine primæ Septimanæ, & initio secundæ.*

**F**Inis primæ Septimanæ est, contritio & dolor de peccatis commissis, & animæ purgatio ab iisdem: & sic pertinet ea Septimana ad viam quæ vocatur Purgatiua, sicut dicit S. Pater noster in Annot. 10. inter 20. primas. Media, quibus in illâ utimur, sunt, Examen conscientiæ, Confessio, Pœnitentia vel corporis castigatio, & Meditatio. Materia Meditationis est,

i. Finis